Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.

Caput III. De forma Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

Visual Library

etsi sit generosum & sapidum (neque enim in tanto Mysterio delectatio gustus quærenda est) quam multum affundere, tum ut faciliùs post sumptas species debito modo purificetur Calix, tum etiam ut caveatur periculum, ne sacer Sanguis defluat in barbam aut patenam, quod faciliùs fieri potest, si major vini copia fuerit affusa. Porrò Sacerdos, qui, ad habendam aliquam sensualem in speciebus voluptatem, plus vini affunderet saltem venialiter peccaret. Vid. *Gob. l. c.*

# CAPUT III.

## *De forma Eucharistiæ.*

FOrma, quâ panis consecratur est hæc: *Hoc est enim Corpus meum*, cujus singulæ partes præter particulam enim, sunt essentiales. Forma, quâ vinum consecratur est sequens: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In qua forma certum est verba:

Assignatur utraq; forma.

Item partes utriusque essentiales.

verba : Hic est Calix Sanguinis mei, sive hic est Sanguis meus, esse essentialia, reliqua autem præter particulam, enim, deliberatè omitti non possunt sine gravi peccato. An autem omittantur cum irritatione Sacramenti controversum est. Probabiliùs est non requiri ad essentiam, quia multæ Ecclesiæ olim omittebant alias atque alias ex his particulis. Vid. *Dom. Reding. q. 2. art. 2. controv. 2.* & alios.

Explicantur verba obscuriora Calicis.

In hac autem forma, verba illa : Testamenti, & Mysterium fidei sic intelligenda sunt, hic est Calix Sanguinis mei, qui Sanguis, est confirmatio Testamenti, id est ultimæ voluntatis, quâ Christus nos ad æternam hæreditatem destinat, & simul Mysterium fidei; id est signum occultæ rei, quæ sola fide cernitur. Circa hæc verba consecrationis notandum est, ut ea nunquam tam altè pronunties, ut ab iis, qui à te remotiùs distant, audiri possint. Minister Sacri si te audiat, nihil impedit, peccabis tamen venialiter si ad 6. vel 8. passus, imò mortaliter si ad 40. audiri consuevisses, quia in priore casu leviter, in posteriore valdè

An peccet, qui verba formæ nimis altè pronunciat.

nota-

notabiliter agis contra ritum Ecclesiæ communissimum in actione omnium gravissima, dabísque occasiones obmurmurationum, scandalorum, offensionum. Sed neque hic te scrupulis angi volo, non enim peccabis, si sic verba consecrationis pronunties prout alteri tibi proximè adstanti modestè loqui soles. Cæterum ut verificetur forma consecrationis, per particulam hoc non potest, nec debet designari panis, qui manibus à Sacerdote tenetur, ita ut sensus formæ sit hoc: id est, hic panis est Corpus meum: Falsa enim est propositio; panem esse corpus Christi. Undè per particulam hoc significatur substantia contenta sub accidentibus panis, ita ut sensus sit formæ: Hoc, quod continetur sub accidentibus panis, est Corpus meum, sive substantia contenta, sub accidentibus panis, est Corpus meũ, quæ propositio est verissima. Cave etiam in forma Calicis particulam hic accipere adverbialiter, id est, in hoc loco, cùm sumenda sit per modum pronominis demonstrativi. Item falsò interpretaberis formam Calicis, si velis

Quid significet particula hoc & hic in utraque forma.

hunc ipsius sensum esse, hic Calix vini, est Calix Sanguinis mei. Neque etiam verum est, quod vinum sit Sanguis, est tamen verum, quod substantia contenta sub speciebus vini, sit Christi Sanguis. Ut enim propositio sit vera debet esse identitas inter prædicatum & subjectum, qualis non est inter panem & corpus, neque inter vinum & Sanguinem Christi. Vid. *Gob. Tr. 3. cas. 3.* & alios.

Verba formæ quomodo proferenda sint.

Verba formæ dupliciter proferri possunt. Primò, recitativè historicè, & materialiter, quando nimirùm proferuntur per modum narrantis. Secundò assertivè, formaliter, & significativè, quando pronunciantur per modum asserentis, & volentis per illa verba indicari sensum animi sui. Priori modo proferre verba consecrationis non sufficit; Neque enim sufficit verba illa narratoriè dicere, & per modum narrantis, seu historiam referentis dicere, Christum post acceptum panem dixisse: *Hoc est Corpus meum.* Debent igitur verba consecrationis proferri modo posterioti, id est formaliter, & significativè. Sacerdos enim quando consecrat, loqui-

loquitur in persona Christi, adeóque verè & propriè asserit, illud esse Corpus & Sanguinem suum: Nam ut rectè loquitur *D. Thom. q. 78. art. 3. in corpore. Ea verba dicuntur à Sacerdote, acsi Christus ea præsentialiter proferret.* Cætera tamen, quæ in Canone præcedunt ipsam consecrationem, solùm recitativè dicuntur. Addunt etiam aliqui illa verba: Qui pro vobis & pro multis effundetur, dici recitativè, quia non profundetur amplius Sanguis Christi. Vid. *Gob. l. c.* Ubi nota Christum esse principalem sacrificantem, tum quia Christus vult suo nomine à Sacerdotibus hoc Sacrificium Deo Patri offerri, tum quia credibile est, ut notat Suarez cum aliis, Christum singula Sacrificia, dum actu fiunt, Patri suo offerre. Hoc enim ejus in Patrem reverentiæ, atque in homines amori est valde conveniens. Ex quo patet, quàm propriè in persona Christi dicat Sacerdos: *Hoc est Corpus meum.* Item in cujus persona proferantur.

Cæterùm operantur verba consecrationis sequentem effectum, ut iis prolatis destruatur tota substantia panis, & tota substantia vini, & sub illorum accidentibus Explicatur, quid operentur verba consecrationis.

constituatur eorum loco Corpus & Sanguis Christi, & ita quidem, ut sub accidentibus panis vi verborum, id est per se directè & primariò non ponatur plus, quàm Corpus Christi, licèt concomitanter, id est per accidens, indirectè, & secundariò ibi simul constituatur Sanguis, Anima, & Divinitas Christi. Nam vocabulum Corpus secundùm communem hominum significationem, non significat Animam, Sanguinem, Deitatem, sed solam corpoream molem constantem ossibus, nervis, carne. Similiter sub speciebus vini non collocatur plus vi verborum, quàm Sanguis Christi, concomitanter autem Corpus, Anima, Divinitas. Cùm enim Christus decreverit non amplius suum Corpus existere sine Anima & Sanguine juxta illud *Apost. ad Rom 6. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*; Idcircò fit, ut ubi statuitur unum horum, ibi & alterum sit concomitanter, sive per concomitantiam, adeóque ex decreto Christi unum comitetur alterum. Vid. *Concil Trid. sess. 13. c. 3.*